

- 8. Magister caeremoniarum in processionibus incedit apud celebrantem, & ejus assistentes; & ubique discipulatur, quando opus est, pro ordinanda processione. Sac. Congr. Rit. in Patavina 30. Augusti 1602. & 8. Maii 1616.
- 9. Cum sit officium magistri caeremoniarum Episcopo significare, quando debet ad ecclesiam accedere pro functionibus episcopalibus, debet id ei personaliter significare. Sac. Congr. Episcop. & Regul. in Campanien. 3. Octobr. 1642.
- 10. Caeremoniae dictae sunt à Cære, seu Cærîte, antiqua celebri urbe Tusciae, ad quam Roma à Gallis obsessa, Virgines Vestales transtulerunt simulacra Deorum, & inibi cultum eis exhibebant; ob cujus rei memoriam Romani in libertatem per Camillum asserti stauerunt, ut deinceps divini cultus caeremoniae appellarentur. Tit. Livius lib. 5. Macrobr. lib. 3. cap. 3. Nouvau Dictionnaire Theologique, Historique &c. par D. de Juigne verb. Cære.
- 11. Afferuntur duo dubia novissime resoluta à Sac. Congreg. Conclil.
 - I. An Clemens Grattarola caeremoniarum magister Archiepiscopi Ravennatens. quando ratione sui officii assistit eidem Archiepiscopo Pontificalia exercenti, tam in Ecclesia cathedrali, quam in aliis quibuscumque civitatibus locis, ejusque suburbis, necnon extra civitatem in locis suae diocesis actu visitationis, gaudere debeat distributionibus quotidianis? & quatenus negative.
 - II. An ex gratia indulgendum sit ut dictas distributiones lucratur in casu &c.
 Sac. Cong. Conc. in Ravennatens. 1. Augusti 1739. respondit: Negative ad utrumque in casu, de quo agitur, praterquam quando assistit Archiepiscopo in cathedrali.
- 12. Alia ad rem vide verb. Resolutiones Sacrarum Congregationum in Indice 1. Decret. Merati à num. 668. ad 771. & à num. 774. ad 778.

MAGISTRATUS. SUMMARIUM.

- 1. Magistratus non debet occupare locum capituli, & Cleri, qui in concionibus sedere debent immediate apud suum Episcopum.
- 2. Magistratus, aut Judices non debent proprias dignitates, & canonicorum sedes, seu stalla in choro, aut presbyterio occupare, quamvis aliquando id eis permisum fuerit.
- 3. Magistratus, & officiales civitatis thurificandi sunt post dignitates, & canonicos aequi ductibus, non obstante usu in contrarium.
- 4. Magistratus in processionibus Sanctissimi Sacramenti debet incedere in loco, in quo secundum antiquam consuetudinem consuevit incedere.
- 5. Magistratus debet juxta solum thurificans mittere ad processionem Sanctissimi Sacramenti, nec licet prohibere solum tributum cerae ecclesiae, &c.
- 6. Magistratus civitatis cogi potest solum obsequium Episcopo accedenti ad Ecclesiam prestare, & juxta solum accedere ad ecclesiam cathedralem in diebus solemnibus, & tempore adventus, & quadragesima.
- 7. Magistratus nihil debet in praedictum capituli, ecclesiae, & canonicorum innovare vel attentare.
- 8. Magistratus secularis civitatis, quando non est de majoribus, & perpetuis, debet incedere in omnibus, & per omnia canonicis ecclesiae cathedralis, & concionator debet prius canonicos, quam magistratum salutare.
- 9. Magistratus, quando est de majoribus, debet incensari ante canonicos post assistentes Episcopo.
- 10. Magistratus laicus non potest habere locum in choro, seu in presbyterio, sed extra illum.
- 11. Magistratus laicus non potest in ecclesia habere retentionem sive usum tapeti, seu stratus.

- 12. Magistratus debet cedere praecedentiam capitulo cathedralis in omnibus functionibus ecclesiasticis; & concionator debet prius salutare capitulum, quam magistratum.
- 13. Item concionator debet prius salutare canonicos, quam gubernatorem civitatis.
- 14. Adducuntur varia dubia ad rem resoluta à Sacra Congregatione Rituum.
- 15. Qualis honor debeatur Praelato praesidi Provinciae? remissive.
- 16. Subnectantur supplementa Auctoritatis.

MAGISTRATUS non debet occupare locum capituli, & Cleri, qui in concionibus sedere debent immediate apud Episcopum. Sac. Congr. Rit. in Bals. region. 25. Jan. 1602. Magistratus aut Judices non debent proprias dignitates, & canonicorum sedes, seu stalla in choro, seu presbyterio occupare, quamvis aliquando id eis permisum fuerit. Sac. Congr. Rituum in Compostellan. 4. Februarii 1600. & sub die 21. Februarii 1604. & in Granatensi 24. Octobris 1609. Magistratus, & officiales civitatis thurificandi sunt post dignitates, & canonicos aequi ductibus. Sac. Congreg. Rituum in Interam. 10. Julii 1600. & in Fanen. 1. Septembris 1607. & in Narnien. 16. Julii 1617. Non obstante usu in contrarium per quindecim annos servato. Eadem Sac. Congr. in Cephal. 24. Octobr. 1609. Magistratus in processionibus Sanctissimi Sacramenti debet incedere in loco, in quo secundum antiquam consuetudinem consuevit incedere. Sac. Congr. Rit. in Foroliviens. 4. April. Magistratus debet juxta solum thurificans mittere ad processiones Sanctissimi Sacramenti, nec licet prohibere solum tributum cerae ecclesiae, canonicis, seu fabricae debitum à consularibus artium, & Massariis Villarum; Sac. Congr. Rit. in Narnien. 16. Julii 1605. Magistratus civitatis cogi potest solum obsequium Episcopo accedenti ad Ecclesiam prestare, & juxta solum accedere ad ecclesiam cathedralem in diebus solemnibus, & tempore adventus, & quadragesimae. Sac. Congr. Rit. in dict. Narnien. 26. Julii 1605. & in civit. Castell. 30. Novemb. 1618. Magistratus nihil debet in praedictum capituli ecclesiae, & canonicorum, innovare, vel attentare. Sac. Congr. Rit. in dict. Narnien. 16. Julii 1605. Magistratus secularis civitatis, quando non est de majoribus, & perpetuis, debet cedere in omnibus, & per omnia canonicis ecclesiae cathedralis; & concionator debet prius canonicos, quam magistratum salutare. Sac. Congr. Rit. in Tirason. & in Oceana 3. Octob. 1615. Magistratus, quando est de majoribus, debet incensari ante canonicos post assistentes Episcopo. Sac. Congr. Rit. in Patavin. 2. Martii 1602. Magistratus laicus non potest habere locum in choro, sive in presbyterio, sed extra illum, ut saepe declaravit Sac. Rituum Congr. & praesertim in una Ausimana 2. Julii 1639. Unde eadem Sac. Rit. Congr. in una Amerina Sedilium 16. Martii 1697. confirmata 12. Septemb. 1699. mandavit apud eundem esse locum magistratum extra presbyterium juxta designationem porrectam à magistro caeremoniarum, non obstante quod magistratus reperiretur in possessione, & allegaret alterius loci congrui deficientiam. Magistratus laicus non potest in ecclesia habere retentionem, sive usum tapeti, aut stratus, ut declaravit Sac. Congr. Rit. in Baren. 2. Sept. 1690. Vide verb. Eccles. art. 5. à num. 32. ad 36. ubi afferuntur multa decreta ad rem facientia. In causa Capuana fuerunt proposita, & resoluta 12 sequentia dubia.

- 1. An capitulo ecclesiae metropolitanae debeatur praecedentia super magistratum secularem ejusdem civitatis in omnibus functionibus ecclesiasticis? An concionator debeat salutare prius capitulum vel magistratum?
- 2. An absente Archiepiscopo magistratus debeat salu-

tari cum titulo Illustrissimi, & capitulum cum titulo Reverendissimi?

Sacra Congregatio Rituum 25. Januarii 1700. respondit.

- Ad 1. Deberet.
- Ad 2. Affirmative.
- Ad 3. Negative in casu proposito, apud Monacell. tom. 4. supplem. ad 1. tit. num. 20. & seq.

Et jam in alia Vercellensi. 2. Augusti 1691. declaraverat, quod concionator debeat prius salutare canonicos, quam gubernatorem civitatis.

Et novissime in Veliterna pro Magistratu Velitarum cum capitulo ejusdem civitatis fuerunt in eadem Sacra Rituum Congregatione proposita, & soluta sequentia dubia.

- 1. An magistratus Velitarum in festo S. Francisci Xaverii possit incedere cum clava, & eodem comitatu, ac incedit in festivitibus quatuor Sanctorum Patronorum civitatis, Sanctissimae Conceptionis, & Beatae Mariae Gratiarum?
- 2. An idem magistratus in ecclesiis extra cathedralem sit thurificandus triplici ductu?
- 3. An eidem magistratu sit dandum osculum pacis per amplexum, seu potius per instrumentum, & à quos?
- 4. An celebrantes post finem missae tam solemnem, quam privatam, debeant, antequam ab altari discedant, reverentiam facere magistratu?
- 5. An eodem magistratu interessente missae privatae liceat in altari accendere quatuor candelas?
- 6. An magistratus immediate post canonicos, & ante beneficiatos, ceterosque de clero admitti debeat ad crucis adorationem, & ad cineres?
- 7. An magistratus, ejusque officiales in processionibus, in quibus deferunt intortitia, illa propriis manibus deferre debeant?
- 8. An magistratus accedente ad cathedralem, aliasque ecclesias civitatis cum comitatu, & clava licitus sit sonitus tubarum intra easdem ecclesias?
- 9. An eodem magistratu in cathedrali, aliisque ecclesiis secularibus, & regularibus, interessente missae privatae, licitus sit sonitus tubarum in actu elevationis Sanctissimae Eucharistiae intus ipsas ecclesias?
- 10. An eidem magistratu liceat in ecclesia parochiali Sanctae Mariae de Trivio retinere scamnum intus presbyterium?
- 11. An eidem magistratu in ecclesiis Sancti Martini, Sancti Francisci, Sanctae Clarae, & Sanctae Theresiae liceat retinere scamnum à cornu Evangelii?

Die 10. Septembr. 1718. proposita causa per Card. Fabroni in Sac. Congr. Rituum.

- Ad 1. Responsum fuit affirmative.
- Ad 2. Negative.
- Ad 3. Per instrumentum dandum esse pacem ab aliquo ministro superpelliceo induto.
- Ad 4. Negative.
- Ad 5. Affirmative, dummodo incedat in habitu consulari.
- Ad 6. Negative.
- Ad 7. Affirmative.
- Ad 8. Affirmative, sed extra Januam.
- Ad 9. Ut ad proximum.
- Ad 10. Negative.
- Ad 11. Arbitrio Eminentissimi Ordinarii, & amplius causa non proponatur.

Qualis autem honor debeatur Praelato Praesidi provinciae, vide dicta verb. Ecclesia art. 5. num. 36. ubi ad id dantur Sac. Congr. Rituum decreta.

* Magistratus & judices seculares procedentes in criminalibus contra ecclesiasticos, excommunicantur. Benedicti. XIV. tom. 1. consulti. 14. incipient. Pastoralis §. 19. *

De loco magistratum in ecclesia, thurificatione ipsorum, pace iis danda, tum de associatione ab illis faciendi Episcopo, vide ubi res postulat Romaguer. in Synod. Gerund. lib. 3. tit. 17. cap. 12. per tot. Lagun. de fruct. part. 1. cap. 30. §. 1. num. 108. & plur. seq. Cort. ad decis. Cataloni. 247. num. 15. & omnium optime Panimoll. decis. 1. adnot. 11. per tot.

Hic vero non est praeterendum nullo modo licere dare osculandum evangelium cuivis magistratu, ut decisum referunt à Sacra Congregatione Rituum Romaguer. ubi supra num. 19. Pignatelli. consulti. capon. tom. 8. consulti. 54. num. 8. & final. ¶

OTITIC MALCHUS.

Quis ille fuerit, cui à S. Petro amputata fuit auricula nocte passionis Christi, non conveniunt Doctores. Eam fuisse servum Pontificis Sacerdotum, habetur Mart. 26. Marci 14. Lucae 22. & illius nomen fuisse Malchum, Joann. 18. ibi: *Erat autem nomen servo Malchus*. Hunc Malchum illum fuisse, qui colapho Salvatoris os percussit, dicendo: *Sic respondes Pontifici?* tradunt aliqui. Nonnulli putant, Malchum, cum à Christo Domino sibi esset auricula restituta, fidem Christi amplexum fuisse, ut inter alios Cornelius à Lapide, cap. 26. Matth. vers. 51. §. Denique Christus. An autem Petrus totam integram ei praeciderit auriculam, ut in terram caderet, an vero partem tantum ambigitur. Fortasse tamen pars solum fuit abscissa, cum solo tactu à Christo restituta perhibetur, Lucae 22. 51. ut tradit Calmet in Dictionario verb. Malchus: Ceterum relicta in suo esse opinione, quod Malchus, amplexa fide christianus obierit; verba scripturae refragari videntur, quod Malchus ille fuerit, qui colaphum Jesu impegit, dicens: *Sic respondes Pontifici?* cum illum fuisse quemdam ex ministris Annae Summi Sacerdotis praesentibus, habemus. Joan. 18. 22. nihilque de Malcho legatur, de quo tamen in eodem capite actum erat. Vide Lambert. Benedicti. XIV. de festis D. N. J. C. num. 208. & Calmet. in Diction. verb. Malchus.

Adolescens, qui relicta sindone nudus profugit à saetellum numero nocte passionis Christi, qui fuerit; non parum dissident Auctores. Hieronymus & Epiphanius censuere, illum fuisse Jacobum fratrem Domini Jesu, appellatum Justum; sed hanc opinionem rejiciunt Baronius, Suarez, Lambertini. XIV. de fest. D. N. J. C. num. 209. Chrysostomus & Ambrosius putarunt, fuisse Joannem Evangelistam; sed haec quoque rejicit opinio; Lamy enim Harmon. Evang. lib. 5. cap. 7. dicitur suspicantur quidam, fuisse Joannem Christum dilectum; sed quare id temporis fuisset Joannes nudus aut prope nudus? Tillemontius nota 3. in vita S. Joannis, quaerit, num dici possit, adolescentem illum fuisse nudum, quamvis in vicinia habitantem, qui vestibus exutus in lecto jaceret, & audito clamore & strepitu, lecto desilisse sindone amictum, & domo egressum, sindone in eorum manibus, qui comprehenderant relicta aufugisse. Et ad id inclinat Antonius Bineus de morte Christi tom. 2. lib. 2. cap. 4. num. 14. sic concludens: *Probabilis nihil est, quam hunc juvenem ex vicina aliqua villa armorum, virorumque strepitu excitatum occurrisse ut cerneret cognosceretque quid ageretur intempesta nocte. Quare quoniam fuerit, indagare nemo mortalium potest. Vid. Lambertini. loc. cit. **

MALEDICUS.

Vide verb. Poena art. 2. à num. 160. ad 164.

MALEFICIUM.

Vide verb. Superstitio à num. 15. ad 80.

MALESONANS PROPOSITIO.

Vide verb. Propositiones damnatæ. num. 38.

MARITUS.

SUMMARIUM.

- M**ARITO non licet occidere uxorem in adulterio deprehensam.
1. Maritus graviter peccat contra iustitiam consummendo, & dilapidando bona uxoris sine eius licentia, adeoque tenetur ad restitutionem.
2. Maritus potest irritare uxoris vota, que præjudicant usui matrimonii, educationi prolis, vel administrationi familie.
3. Immo secundum multos maritus potest directe irritare quæcumque vota uxoris.
4. Quamvis tamen probabilis sit oppositum.
5. Mortua uxore, usus-fructus dotis spectat ad maritum, proprietates vero pertinet ad filios.
6. Quid autem possit, vel non, maritus circa dotem, vivente uxore, & quando ejus dominium acquirat? remissive.
7. Maritus peccat mortaliter, si cogat uxorem ad communicandum coram se, seu ad subeundum candentis ferri, vel ferventis aque judicium, & hujusmodi in testimonium, quod non sit adultera.
8. Maritus quando possit, & debeat, seu non, debitum conjugale reddere, petere, & offerre, remissive.
9. Maritus à mortuis reviviscens non tenetur amplius pristinae uxori.
10. Maritus occidens propriam uxorem prægnantem, cum non constet concludenter de proditione, gaudet immunitate, &c.
11. Maritus occidens propriam uxorem ad effectum ducendi aliam, & extractus ab ecclesia ad formam bullæ condemnatur, annuente Sanctissimo, ad penam extraordinariam.
12. Maritus occidens propriam uxorem gaudet immunitate, ad instantiam tamen Sacre Consultæ retinetur in carceribus usque ad novos ordines.
13. Alia ad rem, remissive.
14. Addit. inseruntur, ad num. 21.
- M**ARITO non licet occidere uxorem in adulterio deprehensam. Communis est certa. Unde Alexand. VII. die 24. Septemb. 1665. merito damnavit inter alias sequentem propositionem 19. in ordine: Non peccat maritus occidens propriam auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.
1. Maritus graviter peccat contra iustitiam consummendo, & dilapidando bona uxoris sine eius licentia, adeoque tenetur ad restitutionem. Communis. Vid. verb. Bona art. 4. num. 16. ad 18.
2. Maritus potest irritare uxoris vota, que præjudicant usui matrimonii, educationi prolis, vel administrationi familie. Communis. (Leg. 8. tit. 9. p. 1.) Immo secundum Sanchez, Sotum, Tambur. & alios, maritus potest directe irritare quæcumque vota uxoris, eo quod

voluntas ejus videatur esse plene subjecta dominio viri, juxta illud Apostoli ad Ephes. 5. vers. 22. ibi: *Mulieris viris suis subdita sint sicuti domino, quia vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesie*. Quamvis tamen probabilis sit cum Sancto Antonino, Navarr. Azor. Valent. Suarez, Lessio, Bonacina, Laym. Castropalao, Illung citatis & sequentibus à La-Croix l. 3. part. 1. n. 493. quod maritus possit solum irritare illa vota, que ut dictum fuit, præjudicant usui matrimonii, educationi prolis, vel administrationi familie, eam subjectioni uxoris respectu mariti fundetis in contractu matrimonii, adeoque detur tantum in ordine ad finem matrimonii.

3. Falsum visum est celebrioribus Theologis, virum posse quæcumque uxoris vota irritare: etsi enim in irritum mittere possit vota sibi, aut familie noxia, & incommoda, v. gr. vota de jejuniis, humilationibus peregrinationibus, & elemosinis ex rebus ad familiam pertinentibus, ac præsertim continentie votum, non sic autem vota de certis precibus recitandis, de superstitio & dissolutio ornatu rejiciendo, de abstinendo à spectaculis, & choreis, de pauperibus alendis labore & opere manuum suarum, quibus familia non indiget, de secundis nuptiis vitandis, de ingressu monasterii, si viro superstes fuerit, ut inquit Natalis Alexander. Immo mulier ipsa, inquit, nonnulla mariti vota facere potest irrita, que scilicet sibi incommoda sunt, aut familie, qualia sunt vota continentie, abstinendarum immo dicarum, vel diuturnarum peregrinationum, & quarumcumque rerum, quibus impotens ad debitum conjugale fieret. Atque hinc patet, quam inepte ad id afferat Paulinum textum, quo mulieres subdite viris declarantur: nam subjectio hæc tanta non est, ut omne in omnibus eis dominium admittat; sed in iis tantum quibus marito, ut conjugi, & familie domino subiectur. Quamobrem ita libera est in iis votendis, que supra indicavimus, ut dominio mariti fieri irrita nequeant. Regula autem in hoc generalis erit, ut maritus irrita facere possit vota, que sine ipsius consensu emittente, ac servare mulier nequeat; que vero mulier sine viri consensu licite ac rationabiliter promittente, & servare potest, vovete etiam potest, quin votum auctoritate mariti revocari possit.

† Dicit Theologus, quod falsum visum est celebrioribus Theologis, virum posse quæcumque uxoris suæ vota irritare &c. atque hinc patet, quam inepte ad id afferat Paulinus textus, ad Ephes. 5. v. 22. &c. Sed bona venia ipsius Theologi ea non est mea opinio, & Paulinus textus afferat ab aliis; dico enim ibi secundum alios: Meam autem opinionem aperte declaro n. 5. immediate sequenti sic concludendo, quamvis tamen probabilis sit cum S. Antonio, Navarr. Azor. Valent. Suarez, Less. Bonacina, Layman, Castropal. Illung, citatis, & secutus à La-Croix lib. 3. p. 2. n. 493. quod maritus possit solum irritare illa vota, que, ut dictum fuit, præjudicant usui matrimonii, educationi prolis, vel administrationi familie. †

Mortua uxore, usus-fructus dotis spectat ad maritum, 6 proprietates vero pertinet ad filios; leg. 1. Cod. de bonis matern. Rota recent. part. 3. decis. 126. num. 2. & part. 11. decis. num. 25. Quid autem possit, vel non, maritus circa dotem vivente uxore, & quando ejus dominium acquirat? Vid. verb. Dos art. 1. & art. 3. (Vid. verb. Ususfructus.)

Maritus peccat mortaliter, si cogat uxorem ad communicandum coram se, seu ad subeundum candentis ferri, vel ferventis aque judicium in testimonium, quod non sit adultera. Ita Sotus apud Escobar l. 8. n. 381. La-Croix l. 6. n. 675. & de esse absolute illicitum docet S. Thom. quest. 80. art. 6. ad 3. & alii communiter arg. c. Ex tunc 8. de purgatione vulgari, & cap. Consulisti 20. caus. 2. quest. 4. ubi expresse prohibentur hujusmodi probationes ad explorandum alterius innocentiam.

Maritus quando possit, & debeat, seu non, debitum conjugale reddere, petere, & offerre? Vide verb. Debitum conjugale per tot.

Ma-

MARTYRIUM.

SUMMARIUM.

- M**ARTYRIUM quid sit.
1. Ad martyrium in adultis requiritur, quod mors, seu cruciatus lethalis voluntarie acceptetur.
2. Unde, si quis adultus in odium fidei christianæ dormiens occidatur, & hic antea nihil cogitasset de morte ob fidem subeunda, sicque eam nullatenus acceptaverit, non est proprie censendus Martyr.
3. Esset tamen talis vere Martyr, si prius cogitasset se morte ob fidem subeunda, & statuisset se cum potius mori in vinculis, & in tormentis, quam fidem Christi negare.
4. Ne dum mors ipsa, sed etiam cruciatus de se illativus mortis est sufficiens ad martyrium, ut patet de S. Joanne Apostolo, & Evangelista.
5. Ad verum martyrium non satis est pæna, vel tolerata mors ob fidem Christi.
6. Hinc, si heretici occidantur propter scilicet suam, quam profitentur, non sunt Martyres, quamvis pro uno vero articulo occidantur.
7. Non solum sunt Martyres, qui expresse propter confessionem fidei, sed etiam qui pro defensione aliarum virtutum supernaturalium moriuntur, vel cruciatus lethales perferunt.
8. Hinc S. Joann. Baptistæ est vere Martyr, licet non expresse pro confessione fidei, sed pro reprehensione adulterii decollatus fuerit, & sic de variis aliis Martyribus.
9. Ad martyrium tria potissimum requiruntur, que assignantur.
10. Martyres græcæ, Tester latine dicuntur.
11. Martyres sunt, non solum illi, qui violentam mortem seu cruciatus lethales voluntarie perpessi sunt, sed etiam illi, qui à persecutoribus nostræ fidei comprehensi, varie vexati in carcerem, vel in exilium missi, & arumnis confecti usque in finem perseverantes, propter fidei, aliarumque supernaturalium virtutum confessionem, mortem naturalem subierunt.
12. Item Martyres sunt etiam Infantes occisi ob odium fidei Christi.
13. Immo etiam infantes in utero matris occisi propter fidem sunt veri Martyres.
14. Miles Catholicus, qui pro fide adversus hereticos, vel infideles pugnando occidatur, non sunt proprie Martyres.
15. Si tamen in statu gratiæ sic generose pugnando occidatur, speciali gloriæ coronandi ad calum evocant.
16. Morientes ob amorem Dei in servitio pestis infectorum non sunt proprie Martyres.
17. Scipios interficientes etiam propter peccatum à se commissum non sunt Martyres.
18. Non licet seclusa rationabili causa, aut divino instinctu, provocare hostes fidei, & se martyrio ingerere.
19. Afferitur clara ratio.
20. Licet tamen, interveniente divino instinctu, vel rationabili causa.
21. Immo in variis casibus datur obligatio martyrium subeundi.
22. Ad martyrium in adultis prærequiritur Baptismus fluminis, si ad sit opportunus.
23. Ad martyrium autem in adultis baptizatis, & actuali peccato mortali obnoxio, prærequiritur Confessio Sacramentalis, si ad sit opportunus.
24. Si tamen non adesse opportunus confessionis, satis esset contritio supernaturalis, cum voto sacramenti Penitentia.
25. An in tali casu, sicut sufficit contritio supernaturalis cum voto sacramenti Penitentia, ita sufficiat etiam
10. Maritus à mortuis reviviscens, non tenetur amplius pristinae uxori: maritus enim non tradidit uxori corpus suum, sicuti uxor non tradidit suum marito, nisi usque ad mortem, juxta illud Apostoli Ad Corinth. 7. Quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat. Unde si adhuc vellet esse conjuges, de novo foret contrahendum. La-Croix l. 4. art. 3. num. 418. ubi ex S. Thoma, & Gobat testatur esse communissimam Theologorum.
11. Maritus occidens propriam uxorem prægnantem, cum non constet concludenter de proditione, gaudet immunitate; sed annuente sanctissimo, attenta atrocitate delictorum, condemnatur in penam extraordinariam, dummodo non excedat decennium ad Tyremes. Sac. Congr. Immunit. in Miscellanea 3. Decembr. 1670. l. 1. decis. Althov. pag. 511.
12. Maritus occidens propriam uxorem ad effectum ducendi aliam, & extractus ab ecclesia ad formam Bullæ, condemnatur, annuente Sanctissimo, ad penam extraordinariam, que non excedat tresdecim annos. Ead. Sac. Congr. Immunit. in Avern. 2. Decemb. 1681. l. 2. di. Althov. pag. 289.
13. Maritus occisor propriæ uxoris gaudet immunitate: Ad instantiam tamen Sacre Consultæ retinetur in carceribus usque ad novos ordines. Ead. Sac. Congr. Immunit. in Beneventana 22. Martii 1676. l. 1. decis. Althov. pag. 1222.
14. Alia vid. verb. Adulterium, Bona, Debitum conjugale, Dominium, Dos, Filius, Matrimonium, Uxor, & verb. Immunit. art. 2. num. 90. ubi datur novissima constitutio Benedicti XIV. incip. Ex quo: & altera ejusdem Pontificis incip. Officii nostri: secundum quas nunc intelligenda & moderanda sunt omnia, que immunitatem concernunt.
15. De jure mariti in uxorem leges Stryk. juridicæ. dissert. vol. 8. disp. 32. per tot.
16. Nota vero hic nobilitatem mariti communicari regulariter uxori, ita ut qui ex patre nobili & matre plebeja natus est, is pro nobili habendus sit; Bessold. Politic. l. 1. cap. 11. §. 33. Carpov. Jurisprud. consili. l. 2. de fin. 11. Quod si ex peculiari statu sive ecclesiarum, sive ordinum, nobilitas utriusque ascendit requiritur, natus ex matre plebeja pro nobili haberi nequit; Rhetius instit. jur. public. lib. 1. tit. 21. §. 9.
17. Matth. Stephan. de nobilit. Politic. cap. 4. num. 44.
18. Num omnia mariti privilegia uxori communicantur, non conveniunt inter se Doctores. Pro regula statuo, personale mariti privilegium, neque vivo, neque mortuo ipso marito, uxori prodesse: secus si maritus commode uti nequeat privilegio, nisi ejus usus liceat uxori; Stryk. jur. disp. vol. 4. disp. 25. cap. 4. num. 34. & plur. seq. ubi exemplis rem illustrat.
19. Quoad privilegia ratione officii marito concessa distinguendum ait Stryk. jurid. dissert. vol. 4. disp. 25. c. 4. n. 41. & seq. Inter officium annexum habens dignitatem, & id quod ignobile est, & plebejum; hoc casu nihil potuit mulier nequidem vivente marito &c. nisi in casibus in jure expressis. In casu vero ubi ratione nobilitatis & officii dignioris privilegium concessum, patet illud etiam uxori &c. Neque id iniquum, quoniam dignitas cum suo annexo transire debet, nominumque identitas identitatem ipsius arguere solet &c. Sed hæc ipsa intelligenda sunt de juribus, que in uxores cadere possunt. Confer & Myler, in Gamol. Princip. c. 2. ubi & jura persequitur, que uxoris Principum, Comitum, & Baronum ex persona maritorum competunt.
20. An in viduis permancant jura mariti? Consule Stryk. jurid. dissert. vol. 4. disp. 25. cap. 4. n. 48. & plur. seq.
21. De marito quoque queri solet, an & que ex persona uxoris sortiantur, an aliquando sequatur forum illius, aut radius ejus coruscet? At de priori adi Struv. exerc. 9. thes. 28. Tiraquell. de legib. connub. gloss. 2. num. 46. & de posteriori De Ponte l. 2. consil. 16. num. 23. & seq. Mastrill. de magistrat. lib. 4. c. n. 20. & seq. ¶